

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XIX. De Providentia Reprobante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](#)

probatur, nam Psal. 118. David: *Bonum mihi,*
qua humilitate. & glossa ex D. Augustino de-
lumpta ad illud c. 8. ep. ad Rom. *Diligentibus*
DEUM omni cooperantur in bonum: usque adeo
omni, ut si qui errora deviant, & exorbitant,
tamen hoc ipsum faciat eis proficere in bonum,
qua humiliores redirent atque cautores.

Respondet. Etiam ex his plus non probari,
quam quod bonus usus electorum, quo ex oc-
cione lapsus in peccatum resurgent fortiores, ef-
fectum prædestinationis, non ipsam permis-
sionem lapsus, qua ex se non est beneficium, est

communis reprobis & electis, & pertinet ad pro-
videntiam generalem etiam quoad materiale pect-
ati, non ad speciale.

In forma nego minorem: non enim permisso
peccati præparatur electis, siquidem præparatio
significat supernaturale beneficium, quod per
speciale providentiam ex intentione conferen-
da salutis electo confertur, permisso autem pec-
cati non est ex voluntate speciali & positiva bene-
placiti, sed ex voluntate solùm permisiva & ge-
nerali.

DISPUTATIO XIX.

DE

Providentia reprobante.

Praedestinationi Doctor Angelicus art. 3. subnectit reprobationem: nam & ipsa
pars Providentia Divinæ est, & cum oppositorum eadem sit disciplina, examinata
naturâ prædestinationis subiecta est consideratio reprobationis, quam Magister in
1. dist. 4. definit, quod sit *præscientia iniquitatis quorundam, & preparatio damnatio-*
nis errorum. Et rursus: præscientia malitia in quibusdam non finienda, & preparatio
pena non terminanda. De qua proinde fit

ARTICULUS I.

An reprobatio habeat sui causam in reprobo?

SUMMARIUM.

1. Congruentia reprobationis.
2. Ei pars altera providentia formaliter consitens
in alia imperio.
3. Divisa reprobationis in positivam & nega-
tivam.
4. Reprobatio positiva sequitur prævisionem de-
meritorum.
5. Reprobatio negativa procedit prævisionem pec-
cati personalis in reprobo.
6. Permissio peccati personalis est effectus repro-
bationis.
7. Nemius sit iuxta per reprobationem negati-
vam ante propria deverita.
8. An reprobatio negativa pro causa habeat pecca-
tum originale?
9. Comparativa reprobatio non habet aliarn causam,
quam rationabilem DEI voluntatem.
10. Ad reprobationem negativam per se sufficit ti-
tulus beneficii indebit.
11. Probabile est de facto in hominum reprobatio-
ne acceptissime titulum peccati originalis.
12. Autoritat S. Angustini jungitur authoritas
D. Thome.
13. Quomodo originale dici possit effectus repro-
bationis?
14. Originale est ad aquata causa reprobationis ex
S. Augustino.
15. Erratione.
16. Exponitur mens Concilii Trid. quomodo nihil
damnationis sit in regeneratis.
17. Non sequuntur ex nostra sententia due contra-
arie velutantes in DEO.

§. I.

Reprobatio positiva presupponit deme- rita reprobi.

A liquas creaturas rationales reprobari h. e. ad 1.
æternâ supplicia deputati tam ex hominibus,
quam Angelis, aperte constat ex Matth. 25. *Ite*
maledicti in ignem æternum, qui preparatus est dia-
bolo, &c. & pluribus aliis Scriptura locis. Cu-
jis rei congruam rationem reddit S. D. hic q. 23.
a. 3. quod sicut ad generalem providentiam per-
tinet, aliquem defectum in rebus permittere, ita
spectet ad speciale providentiam, ut non tan-
tum aliquos ordinet in vitam æternam, sed etiam
principie ad manifestandam magnitudinem suæ
misericordia in electis, gratia necessitatem, ar-
bitrii creati defectibilitatem, suæque justitiae pul-
chritudinem, ut permittat aliquos ab ipso sine vita
æterna deficere, qua ratio delupta est ex Apo-
stolo: Rom. 9. dicente: *DEVM sustinuisse in*
multa patientia vas ira, apta in interitum, ut
offenderet divitias gloria sua in vase misericordie.
Ex iis quoque, quæ de prædestinatione sunt dicta, 2.
constat, reprobationem positivè acceptam esse
partem objectivam Divinæ Providentiaz sicuti
enim effectus glorificationis aliquorum debet
præexistere in Divina Providentia prædestinantez;
ita effectus damnationis aliquorum in Divina
providentia reprobante: qua de causa etiam con-
sistit formaliter in actu immanente intellectus
practicus (quem imperium vocamus) permissionem
peccati & finalis impenitentiaz ordinantis in
ostendere.

ostenzionem Divinæ justitiae : præsupposito tam & connotato duplice potissimum actu voluntatis , quorum unus dicitur decretum exclusivum à gloria , & alter decretum permisivum tam primi quam ultimi peccati sive finalis imponentia.

3. Dixi reprobationem *positivam*. Solet enim reprobatio dividī in positivam & negativam. Negativa est decretum denegativum gloriæ tanquam beneficii indebiti ; ac dicitur negativa , non ex eo , quasi negatio sit ex parte DEI & actus ; sed quia pro objecto habet negationem gloriæ , sive exclusionem à gloria ; hac opponitur electionis ad gloriam , in eodem quippe signo rationis , in quo unus misericorditer eligitur ad gloriam , alius justâ DEI voluntate relinquuntur in massa perditionis . h. e. in cumulo hominum vi peccati originalis ab aeterna hereditate extorrium. *Positiva* verò reprobatio , qua etiam dicitur *punitiva* , includit decretum infingendi penam aeternam (sive sit sola pena damni , sive sit conjuncta cum pena sensus) eaque de causa vocatur *positiva* , quia ponit in reprobatione effectum damnationis.

4. Hac prænotata divisione reprobationis , positi-
ma est controversia. An reprobatio præcedat demeritorum prævisionem , sicuti de electione ad gloriam dictum est , quod antevertere metitorum prævisionem ? Et siquidem de reprobatione positi-
va sit letmo ; *Dicendum est* , cander non fieri ante prævisa demerita , sive peccata. Ita S. D. in 1. sent. ad Annibald. dicens : *vulnus damnationis respicit rationem voliti ex parte damnati* , *cum damnatio ex debito inferatur*. Idem docet lect. 2. in epist. ad Rom. c. 9. *Praescientia* , inquit , *peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte penæ* , *que preparatur reprobatis* , *in quantum scilicet DEVS proponit se puniuntur malos* , *proper peccata* , *qua à se ipsi habent* , *non à DEO*.

Colligitur ex Concil. Valentino c. 3. dicente. Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam , & prædestinationem impiorum ad mortem : in electione tamen salvandorum , misericordiam DEI præcedere meritum bonum ; in damnatione autem peritiorum , meritum malum præcedere iustum judicium.

Huc faciunt graves S. Script. sententiae. ut Sap. 1. *Quoniam DEVS mortem non fecit* , *ne lacratur in perditione vivorum*. Ol. 13. *Perditio tua (ex te) Israël* : tantummodo in me auxilium tuum. Il. 59. *Iniquitates vestre divisorunt inter vos & DEVIM vestrum* Ezech. 18. *Nunquid voluntatis mea est mors impiorum* ? in eundem sententiam D. Augustinus l. 3. contra Jul. c. 8. *Bonus est DEVS* , *iustus est DEVS* : *poteſt sine bonis meritis liberare* , *quia bonus est* ; *non potest sine malis meritis damnare* , *quia iustus est*.

Quibus verbis rationem nostræ assertionis insinuat : *Penam decernere ante demeritum* , *innocentis injurya est* ; *sed impossibile est* , *ut DEUS inferat injuriam innocentium* , *qui non aliud spectat* in damnatione reprobatorum , *quam Divinæ sua iustitiae manifestationem*. Ideo iterum S. Augustinus epist. 106. *Quemquam immeritum* , *& nulli obnoxium peccato si DEVS damnare creditur* , *alienus ab iniquitate non creditur*.

§. II.
Reprobatio negativa antevertere peccatum personale.

D E negativa verò reprobatione oppositum est sentendum , videlicet antevertere prævisionem peccati personalis in reprobatione. In eadem quippe signo aliqui relinquuntur in massa perditionis , & excluduntur à gloria , in quo signo aliqui misericorditer eliguntur ad gloriam : *led illud signum antecedit prævisionem meritorum justiæ dicta in disput. præced. ergo aliquorum exclusio à gloria , quæ est ipsi reprobatio negativa , præcedit prævisionem demeritorum.*

Secundum permisio peccati est quasi effectus reprobationis : & finis intentus à DEO in reprobatione , est excludere reprobus à regno celorum , ad ostensionem suæ iustitiae in reprobatis , & misericordia in electis ; *sed* , ut dictum , finis est prædictus intentus , quā media : *igitur permisio & prævisio peccatorum personalium est posterior* , *quā exclusio à gloria , seu reprobatio negativa*.

Neque per hoc DEUS cuicunque facit iniuriam ; cū salus æterna præcipue post originem peccatum nulli sit debita , veluti in clavis terminis uidit S. Thomas loco supra cit. ad Annibald. *Vulnus Divinæ de salute hominis duplex voluntas opponi videtur* : *scilicet voluntas decontradictiva* , *secundum quam vult aliquem non salvare* , *& voluntas de contrario* , *secundum quam vult aliquem damnare*. *Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti* , *cum salus gloria non sit debita natura humana* : *non enim requiri ratio* , *quare non dem alicui* , *quod dare non debet*. *Sed voluntas damnationis reipictrit rationem voluntatis ex parte damnati* ; *cum damnatio ex debito inferatur*.

Quod ipsum ex celebri illo Apostoli loco Rom. 9. de duabus fratribus Jacob & Esau dicitur: *Cum nondum nati fuissent , aut aliquid boni vel male fecissent , non ex operibus , sed ex vocante dictum est* : *Jacob dilexi* , *Esau autem odio habui* , *erat uterque S. Doctor August. epist. 105. & q. 2. at Simplic. & S. Th. supra eundem locum lect. 2.*

De reprobatione verò negativa quid sententiam ? Trifariam dividuntur in suis sententiis Discipuli S. Thomas. Unam causam reprobationis , DEI beneplacitum & titulum indebet gratias agnoscat Contensonus : ex opposito peccatum originale in parvulis & adultis , etiam quibus originale per baptismum remittitur pro causa reprobationis saltet in intentione admittit Go. causam. Causam inadæquatam in iis solidam perleverantem , qui baptismi gratiam non receperunt , esse peccatum originale tuerit Gonet.

Distingendum est in primis inter reprobationem comparativam , quā unus potius reprobatur , quam alius , & inter absolute sine comparatione ad alium. Et si de prima loquamur , tandemnam lam habet sui causam ex parte reprobri , sed unicam ex parte DEI , occultissimam nimurum , rationabilem tamen voluntatem ; ad quam configit ipsa Apostolus ad Rom. c. 9. cūque exponens S. D. superè citatus inquit : *quare hōs eligit* , *& illas reprobat* ; *non habet rationem* , *nisi Divinam voluntatem*. Neque enim peccatum personale potest

- et ipsius ratio, quippe quod reprobationem necessitatem consequitur: non originales; quippe quo omnes aequaliter sunt infecti. Si vero de reprobatione absoluta sit sermo.
10. Dicendum est secundum. Reprobatio ex se nullam requirit aliam causam, & titulum, quam beneficium indebit: ita de facto patet in ruina & reprobatione malorum Angelorum: in qua non potuit habere rationem causa peccatum originale, quod nullum fuit; neque peccatum actualis, quippe cujus permisit fuit effectus reprobationis. Igitur DEUS ex fine manifestandi perfectio-
nis & thesauros suarum misericordia in electis, fauore potentis, aliquos Angelos gratuitam ele-
git ad gloriam, & ex eo fine decrevit dare do-
num perseverantie; alios vero ab hoc beneficio
indebito exclusos voluit, eoque ex fine negavit
donum perseverantiae, aedique permisit finaliter
perire. Parte modo ad reprobationem quorun-
dam hominum sufficere poterat titulus beneficii
indebiti, & manifestatio praedicta Divinatum
perfectionem.
11. Dicendum est tertium. Peccatum originale de-
facto esse causam & titulum reprobationis, valde
probabile est ex autoritate. Nam primò Apolo-
lus Rom. 9, reprobationem appellat nomine odio, exponens illud. Esau autem odio habuit: Atqui
DEUS in homine nihil odit præter peccatum, juxta illud Iap. 11. nihil odit eorum, quae fecisti: ergo obiectum & causa reprobationis est pecca-
tum; non actualis: ergo originale. Et quamvis Contentorius velit, intelligentem esse odium me-
taphorice sumptum, sicut cum DEUS dicitur
iracui: aliter tamen lenitus & exponit D. Augusti-
nus epist. 105. dicens: Quid oderat in Esau, ante-
quam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?
- Secundum idem S. P. I. 2. ad Bonif. c. 7. ubi dicitur, cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat, qui facit aliud via in honorem, aliud in contumeliam: bonum quod dem immixti, & gratis datur, quia ex eadem massa est, cui datur: malum vero merito &
debitum redditor, quia in massa perditionis, malum
viro non male redditor. Et epist. 105. Hec massa,
est in media, ut quemadmodum nihil boni, ita
ne mali aliquid mereatur, non fructuaria videtur ini-
quitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.
12. Tertio Divus Thomas prelato pede sequitur D.
Augustinus, unde inquit pro se allegans q. 6. de
verit. a. 2. ad. 9. ita dicit: Electio DEI, quia unum
elegit & aliud reprobavit, rationabilis est, nec tamen
sopportari, quod ratio electionis sit meritum, sed in ipsa
electione ratio et Divina bonitas: ratio autem reproba-
tionis est luminibus peccatum originale, ut Augu-
stinus dicit. Hec S. Doctor. Neque satiscit Con-
tentorius, dum dicit: D. Augustinus non velle,
quod DEUS in intentione statuerit aliquem exclu-
dere propter peccatum originale, sed quod in execu-
tione ultimum effectum reprobationis, vel inter-
medium excitationis & obdurations non in-
fliger, nisi proper peccatum originale. Nam con-
tra est, quod S. D. loc. cit. reprobationem opponit
electioni ad gloriam, quia omni merito praetul-
patur: sed illa est in intentione: ergo etiam non
aliam intelligit reprobationem, quam negativam,
& in intentione.
13. Dices: peccatum originale est effectus repro-
bationis; ergo non est causa, antecedens probatur
quia ex fine reprobationis multi parvuli & adulti
concipiuntur & moriuntur in peccato originali.
- Repondeo, negando vel distinguendo antece-
dens: peccatum originale ut finale est effectus re-
probationis, concedo, peccatum originale ut sic
nego: sic enim est prævisum ante ordinem præde-
stitutionis, & toti generi humano induxit debitum
mortis æternæ; unde iterum Augustinus: qui li-
berantur a massa perditionis, gratiam diligant, qui
non liberantur, debitum agnoscant. Ut finale vero,
h. e. ut nunquam remittendum & conjungendum
cum morte reprobri: sic est summummodo effectus
reprobationis.
- Dicendum tertium. Peccatum originale proba-
biliter est causa etiam adæquata reprobationis nega-
tivæ omnium reprobatorum, tam quibus est remi-
ssum, quam quibus non est remissum peccatum
originale. Ita Godoyus disp. 69. §. 6. Philalethes
& Henricus à S. Ignacio.
- Probatur primo authoritate S. Augustini tum
l. 1. ad Simplic. q. 2. tum in Ench. c. 98. Jacobum
statuens pro exemplo electorum, & Esau pro
exemplo reprobatorum, & pro causa oddi Esau (quo
nomine intelligit reprobationem) assignantis ori-
ginale peccatum: sed certum est, quod Esau remis-
sum fuit originale peccatum: cum enim natus
esset ex parentibus fidelibus & sanctis, haud dubie
non minus ipsi, quam Jacobo fuit applicatum reme-
diū peccati originalis per circumlocutionem: ergo
ex doctrina D. Augustini, etiam in illis, quibus pec-
catum originale remittitur, motivum voluntatis
exclusivæ a gloria est peccatum originale. Ambo
inquit loc. cit. itaque gemini natura filii inæ
nasciuntur, nullis quidem operibus propriis, sed origina-
liter ex Adam vinculo damnationis obstricti, sed,
qui dixit, miserabor, cui miseritus ero, Jacob dilexit
per misericordiam gratiam, Esau odio habuit per
judicium debitum.
- Probatur secundum. Reprobatio negativa pro
motivo habet ostensionem justitia punitiva, est
que actus hujus virtutis: sed in instanti reprobationis
respectu omnium reprobatorum nihil aliud
erat puniendum, quam peccatum originale; neque
enim prævidebantur personalia, quorum permis-
sus est hujus reprobationis effectus: ergo pecca-
tum originale habebat scilicet ut objectum materialis
reprobationis negativæ.
- Confirmatur. Si merita iustorum præcederent
decreta intentivum dandi gloriam, tunc essent
sufficiens causa ejus decreti intentivi: ergo quia
prævisio peccati originalis præcedit decreta intentivum
excludendi a gloria, peccatum originale
est sufficiens causa illius decreti: atque præcedit
non tantum respectu illorum, quibus peccatum
originale non remittitur, sed etiam quibus remit-
tur: ergo non est major ratio, cur originale sit
causa reprobationis respectu illorum, quam istorum:
præfertur cum voluntas conferendi, vel de-
negandi remedium peccati originalis sit posterior
reprobatione negativa, & effectus ipsius, aedique
impedit non possit influxum demeritorum vir-
tualem peccati originalis in voluntatem repro-
bativam.
- Objicies primò. Si originale peccatum esset causa
adæquata reprobationis, tunc DEUS omnes re-
probaverit.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

B b

pro-

probos homines vellet damnare propter originale peccatum: sed hoc dici non potest: quia sequeretur reprobos, quibus per baptisum jam remissum fuit peccatum originale, nihilominus propter illud peccatum dannari, quod repugnat Tridentino deo. s. Can. s. ex Apoll. ad Rom. 6. definiti: *Nihil damnationis remanet in his, qui per Baptismum renovantur.*

Porro sequela probatur, quia quod DEUS efficaciter vult in intentione, hoc de facto ponit in executione, prout patet exemplo prædestinationis, in qua cum DEUS in intentione iustis decernat primam gratiam vocacionis & ultimam perseverantem propter gloriam aeternam, etiam dat illis in executione, ut per illas ad aeternam salutem perducantur: ergo etiam si DEUS voluit, ut propter originale peccatum omnes reprobri excluderentur a regno calorum, etiam in executione omnes reprobos propter illud excludet. Itaque dicendum est originale peccatum tantum esse titulum reprobationis inadäquatum, qui in baptizatis non influit ad ipsorum damnationem, remanente solum altero titulo beneficii indebiti.

Respondeo distinguendo sequelam majoris: DEUS vellet damnare propter originale peccatum, decreto tantum intentivo & exclusivo à gloria, concedo, decreto executivo, nego majorem: & ad probationem minoris, nego sequelam; quia damnatio pertinet ad executionem, voluntas excludendi à gloria ad intentionem. Vel distinguo cum Philacterie, & Hentico à S. Ignatio: peccatum originale, quod singuli nascendo intrinsecè & physice inficiunt, foret causa damnationis, nego, peccatum originale, quo omnes in Adamo perivimus, & decidimus in massam damnationis, h. e. omnes contraximus debitum damnationis aeterna, & actualis infectionis in nostra nativitate, concedo, ab hac quippe massa perditionis sola prædestinatione liberat, non gratia baptismalis, unde dicitur à D. Augustino c. 14. de bono persever. preparatio beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur: ceteri autem subiungit, ubi nisi in massa perditionis justo DEI iudicio relinquuntur?

Unde Concilii Tridentini definitio sic intelligenda est, quod nihil personaliter damnationis sit in natura, & quod quidquid personaliter ipsos inficit in sua nativitate, totaliter sit remissum, non autem, quod nihil damnationis sit in ipsis, quatenus communiter cum toto humano genere in Adamo contenti considerantur, alia omnes essent à massa damnationis liberati, ac prædestinati, quod dici non potest, qui perseverantur non sunt, inquit ibidem D. Augustinus de corr. & grat. c. 7. Procul dubio nec illo tempore, quo bene pœgne vivant, in isto nu-

mero (prædestinatorum) computandi sunt: non enim sunt à massa illa perditionis praesentia DEI & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.

Addit Godoyus, mentens Concilii fuisse, contra hereticos alescentes per baptisum peccata tollenti, vel non imputari ad peccatum remanente culpa, definite, quod per baptisum peccata deletur cum reatu pœna aeterna, quod omnino verum est, quantumvis per baptisum non tollatur voluntas reprobatoria DEI, & denegativa gloria.

Dices. Eo modo executioni mandatur exclusio reproborum à gloria, quo fuit ab aeterno volitus, sed fuit volita propter peccatum originale: ergo etiam propter peccatum originale executioni mandatur in tempore.

Respondeo primò distinguendo majorem, quae fuit ab aeterno volita decreto executivo concedo, decreto intentivo, nego. vide qua de gratia electione in simili dicta sunt.

Respondeo secundò: dissimulata major, distinguendo minorem: fuit volita propter peccatum originale ut in debito & potentia insiens, concedo, ut actu intrinsecè insiens, nego minorem: ergo sic mandatur executioni, subdivisus consequens: nisi in executione mutetur objectum, concedo, si mutatur, nego consequentiam. Mutari vero objectum, quando in executione DEUS voluit, ut in baptizatis tollatur influxus demeritorius in executionem aeternæ damnationis.

Objicies secundò. Sequeretur, in DEO dari auct. contrarias voluntates: nam decreto reprobans DEUS diceret: volo hunc hominem propter originale peccatum excludere a regno calorum; decreto remittente diceret: nolo hunc hominem excludere a regno calorum propter originale peccatum: sed haec sunt voluntates contrariae: ergo

Respondeo negando sequelam: nam iste voluntates pertinent ad diversum ordinem, & habent diversa objecta. Prior actus pertinet ad ordinem intentionis, & habet pro objecto exclusionem à regno calorum intentiam propter indignitatem peccati originalis, contracti in debito: alter actus pertinens ad executionem habet pro objecto ablationis exclusionis exequendam propter peccatum originale actu insiens. Igitur respectu illorum reprobrum, quibus non remittitur peccatum originale, dicit DEUS: ob turpitudinem peccati originis volo, ut maneat exclusus a regno calorum exclusive exequendam propter originale; respectu eorum, quibus remittitur, dicit: propter turpitudinem peccati originalis volo istos excludi a regno calorum, exclusione tamen non exequendam propter originale peccatum.

ARTICULUS II.

De effectibus reprobationis.

SUMMARIUM.

1. Effectus rigorose sumptus reprobationis non est nisi unus.
2. Permissio peccati finalis potissimum effectus reprobationis.
3. Excluduntur peccata semel remissa.
4. Dat in DEO Liber vita, non mortis.
5. Cessatio reprobationis mittitur decretis permisiviis.

6. Ordo & aconomia prædestinationis.
- §. I.

Affognantur effectus reprobationis.
Si effectum reprobationis eo rigore velis accipere, scire, quo prædestinationis effectum accepimus, nullus sane erit effectus reprobationis, sive positivæ sive negativæ, excepta inflictione pœna aeterna, qua per reprobationem positivam suppedita p. 2.

provisione peccati in reprobo ponitur. Illud enim propriè & in rigore dicitur effectus reprobatio-
nis; quod vi reprobationis in reprobo posicium
caut & actu condacit ad penam aeternam,
quemadmodum ille est propriè effectus præde-
finitionis, qui ex vi prædestinationis in electo po-
nens a deo conductus ad vitam aeternam. Sed ni-
hil est, quod ex vi Divinae reprobationis ponan-
tur in reprobo, ut actu conductus ad penam
aeternam. Ipla quippe permisso peccati nihil
ponit in reprobo, ex quo causaliter inferatur
pena aeterna: habet enim reprobus gratiam suffi-
cientem, quā possit evitare peccatum, permisso
quoque peccati nihil ponit in reprobo, sed tol-
le sublomedio gracie efficacis auxilium, neque
ex vi denegat gracie efficacis peccatum sequi-
tur, quod unicū causat penam aeternam: non
enim proper subtractionem efficacis gracie,
sed proper malitiam propriam, & liberi arbitrii
defectum homo peccat.

Quod si effectum reprobationis latiori & uita-
tio fensi accipias pro illo, quod secundum or-
dinationem Divinae providentiae certò & in falli-
bility cum aeterna pena connectitur; non causa-
liter, sed illative, neque secundum consequen-
tiam in esendo, sed inferendo; tum vero inter
effectus reprobationis potissimum recensenda per-
missio peccati finalis & impudentiarum, que etiam
quandoque *adulatio* vocatur.

Removetur vero ab effectu reprobationis
quicunque peccata semel remissa, eo quod nul-
lum habent cum aeterna damnatione connexio-
nem, quippe, quia semel delera nonquam re-
deunt, ut suppono ex Tract. de penitentia.
Removenda quoque sunt bona naturalia, &
substantia ipsius reprobi, quia neque Divine bo-
nitati convenit, ut ea ordinet in penam aeternam
reprobis; neque ipsa ex se habent, ut efficaciter
ad illum finem perducantur.

Inde etiam hinc in DEO derut liber vita, non
tamen datur liber mortis; quia per librum deno-
tatur specialis quadam notitia summa compla-
cenzia, & scientia approbationis, in qua illi

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

Bb. 2

T R A -

quasi sunt inscripti, qui praे aliis diliguntur.
Cum ergo reprobis non sint dilecti, sed neglecti;
neque scientia reprobationis de peccatis repræ-
borum sit scientia beneplaciti, sed permissionis
tantum, libri appellationem non sortitur.

§. II.

Certitudo & ordo reprobationis

Certitudo reprobationis nititur illis fundamen-
tatis, que de præscientia & & providentia
Divina superius collocavimus. Nititur, inquam,
Decretis permisiviis, in quibus peccata reprobri ad
finalem impudentiam DEUS certè videt. Ideo-
que haec certitudo non est causalitatis medio-
rum, sicut illa prædestinationis, sed logicæ illa-
tionis, ed quod quod de cuncta permisiva non caulant
peccatum, ut econtra de cuncta positiva & præde-
finitiva caulant meritum.

Ordinem reprobationis, imoconomiam to-
tius prædestinationis si desideras, paucis accipe.
Post decretum ordinem naturæ & gracie, ad ma-
nifestandas Divinas perfectiones, sequitur præ-
viso peccati originalis, inde decretum de Incar-
natione & Passione Christi ejusque prædestina-
tio, & voluntas antecedens salvandi omnes homi-
nes: postea aliqui ex meritis Christi misericordi-
ter eligiuntur ad gloriam; alii in mala perditionis
relinquuntur, & negative reprobantur. In se-
quenti signo eliguntur media pro electis, & de-
cernitur permisio peccatorum finalis pro repro-
bis. Sequitur ordo executionis, & scientia
prædicta includens Decretum executivum præpa-
rat beneficia pro electis; permittit vero peccata
pro reprobis. Post quem actum sequitur decre-
tum executum dandi gloriam electis, & inflig-
endi penam aeternam reprobis. Inde applica-
tio potentia executiva, & ipsa executio illi in
gloriam, istis in penam. Hic via terminus vel
aeternum felix, vel miser. Nec ultra tendo, aut
aliquid tento, sed inscrutabile prædestinationis
mysterium in illo claudio, à quo capi DEO uno,
vivo & vero, qui sit

Benedictus DEUS in saecula.



ALEX. CR.
DE
EW.

3